



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 123. Lis contra Jesuitas ab Universitate Parisiensi resuscitata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

exceptis Jesuitis, & Capucinis, qui **Sæcul. XVI.**
 tam subita rerum mutatione adhuc at- **A.C.1594.**
 toniti hærentes Pontificis auctoritatem
 esse expectandam contendebant: ejus-
 dem quoque sententiæ paulo ante ipsa-
 met Universitas erat, quapropter gene-
 rali supplicationi die vigesima nona
 Martii habitæ interesse recusabat, hanc
 tamen culpam reparaturi Rector, & Fa-
 cultatum Decani, aliaque Universitatis
 membra seorsim ad sacrum Palatii Sa-
 cellum supplicationem decernebant, ut
 pro felici Parisinæ urbis recuperatione
 Deo grates rependerent, ejusque opem
 pro Regis conservatione, armorum pro-
 speritate, regniq[ue] tranquillitate implo-
 rant.

§. CXXIII.

*Lis contra Jesuitas ab Unversitate
 Parisiensi resuscitata.*

Hæc Jesuitarum repugnantia Parisiensi **Thu. l. 110.**
 Universitati ad litem, qua illos **Journal**
 jam a pluribus annis divexabat, rur- **d'Henry IV.**
 sus innovandam propitia videbatur oc- **par l'Etoil.**
 casio; quapropter die decima octava **t. 1. p. 29.**
 Aprilis habito conventu requirente Ar- **Mem. de la**
 tium liberalium Magistro, nomine Bur- **Lig. t. 6.**
 ceto unanimi suffragio ab omnium qua- **pag. 199.**
 tuor Facultatum membris decretum, **Argentre**
 quod Jesuitæ in jus vocarentur, atque **pag. 510.**
 ad

Sæcul. XVI. ad prosequenda iudicii acta Iudices nominentur. Eam ob rem feria quinta die duodecima Maji Senatui Regio libellus supplex porrigitur, quo rogatum, ut is, cum Universitatis causa contra Jesuitas a tot annis interrupta, atque contentio suspensa fuerit, cuncta tamen argumenta contra eos allegata luce meridiana clariora essent, jam interposita sua autoritate hosce Patres non modo e Parisina urbe, sed toto etiam Regno expellere velit, quam in rem Regius Inquisitor innovatæ huic liti intervenire rogabatur: igitur Senatu ad Universitatis libellum respondente Jesuitæ comparere jubentur.

Pariter Claudius Duretus eorum Advocatus comparuit, ac die duodecima Julii oclusis foribus res apud Iudices agitabatur, & postquam Jacobus Ambasius Rector brevem latinum sermonem pronuntiaverat, Antonius Arnauldus celebris Advocatus Universitatis iura defendit, suæque actioni altera die finem imposuit, admodum acerbe in Jesuitas invecus; quos coloribus invidia plenis depingens ea usus est eloquentia, quæ illa ætate magni habita eidem celebris Oratoris nomen promeruit.

§. CXXIV.